

ordo consuetus Orationum, cum Oratio Votiva, qualis est imperata, ponatur ante Commemorationem a Rubrica præscriptam; igitur, si tres Orationes in Missa a Rubrica assignatæ sunt, Oratio imperata pro Defunctis dicitur tertio loco, quarto autem loco additur Commemoratio specialis vel communis quæ alias tertio loco dicta fuisset, ita volente, contra regulas de loco Orationis imperatæ, Rubrica citata de loco penultimo Orationis pro Defunctis.

In illo casu non est observanda regula de numero impari Orationum; et sufficit, si Celebranti placet, dicere Orationes quatuor tantum.

Attamen si, quando fieri potest, placeret Celebranti in his Missis addere Orationem Votivam stricte dictam ad suum libitum, ita ut diceret in toto Orationes quinque, tunc, vi regulæ de penultimo loco Orationis pro Defunctis, ordo Commemorationum non deberet interverti; et Celebrans diceret Commemorationes speciales aut communes secundo et tertio loco, Orationem imperatam pro Defunctis quarto loco, et Orationem Votivam stricte dictam quinto loco.

Q. 132. *An celebrans potest, in Missis quæ non sunt de Requiem, dicere Orationem pro Defunctis tamquam Votivam stricte dictam? Quo loco dicenda est hæc Oratio?*

R. I. In Missis Festorum simplicium, et in Missis Ferialibus admittuntur Orationes pro Defunctis, ut declaravit S. Rituum Congregatio (Decret. 31 Julii 1665, n. 1322, ad 8, antiq. 2345, n. 9; et 25 Augusti 1882, n. 3553, antiq. 5848, ad 2). Itaque in Missis in quibus Celebrans, ultra Commemorationes a Rubricis præscriptas, ad libitum suum addere potest Orationes Votivas stricte dictas, scilicet in Missis de Festo simplici, de Feria, et de Vigilia communi, aut quando iterum in hebdomada dicenda est Missa Dominicæ præcedentis (cfr. Q. 86), pro Oratione stricte Votiva dicere potest Orationem pro Defuncto, vel Defuncta, vel Defunctis.

II. Orationes stricte Votivæ dici debent post omnes Orationes in Missa præscriptas; et eo quidem modo, ut cum his simul sumptæ surgant ad numerum impa-

rem quinque vel septem (cfr. Q. 90); sed hic animadvertenda est quoque regula de penultimo loco Orationis pro Defunctis dictæ (cfr. Q. 129). Itaque Celebrans post Commemorationes Missæ volens addere quartam Orationem Votivam stricte dictam pro Defunctis, ad jungere quartæ huic debet aliam quintam, quæ de Defunctis non erit.

Si autem alia Oratio imperata, ex. gr., pro Papa esset præscripta, non perperam dicitur quarto loco suam Orationem pro Defunctis, et quinto loco Orationem imperatam pro Papa. Ita salvo meliori iudicio.

CAPUT V

DE EPISTOLA, — DE GRADUALI, ALLELUJA, TRACTU ET SEQUENTIA, — DE EVANGELIO

Q. 133. *Quænam Lectiones sacræ olim usuveniebant, et adhuc hodiedum usuveniunt in Missæ Sacrificio?*

R. A primis Ecclesiæ sæculis fideles Lectionibus e Sacra Scriptura, currenti tempori anni, vel Festis accommodatis, instruebantur et ad Sacrificium præparabantur; Lectiones erant præcipua pars Missæ Catechumenorum.

Lectiones in Missa plures usuveniebant: principalior ex Sacris Evangelii; — alia ex aliis Libris Sacræ Scripturæ, sed plerumque ex Epistolis, præsertim S. Pauli desumpta, et ideo vocata *Lectio Apostolica*, *Apostolus*, sed sæpius, ut et hodie, *Epistola*; — tertia, *Prophetica* nuncupata, plerumque ex Prophetis, aut aliis Veteris Testamenti Libris.

Hodie remanent in Missa duæ Lectiones, Epistola nempe et Evangelium.

Prophetica Lectio vero currente sæculo V in Romana Liturgia suppressa fuit, ejusque usus retentus fuit, et hodie adhuc remanet quibusdam tantum diebus, scilicet, Feriis quartis et Sabbatis in Quatuor Temporibus, et tempore Quadragesimæ Feria quarta Hebdomadæ quartæ, et Feria quarta Hebdomadæ majoris.

Istæ Lectiones Prophetiæ, præfatis diebus retentæ, videntur debere referri ad Ordinationes sacras, cum Feriis quartis ante Ordinationes sequentium Sabbatorum, locum habebant Scrutinia, seu examina Ordinandorum, et in ipsis Sabbatis Ordinationes sacræ. Cfr. Pontificale Romanum, Tit. *De Ordinibus conferendis*, Rubr. 1.)

Seriem Epistolarum et Evangeliorum per anni curriculum, qualem hodie adhuc habemus pro Missis de Tempore, aliisque Festorum antiquiorum, ordinasse dicunt plures eruditi S. Hieronymum, auctoritate et mandato S. Damasi, Papæ († 384).

Q. 134. *Quænam notanda sunt de ritu Epistolæ?*

R. I. Primo ævo Lectoris munus erat in Missa legere Epistolam, cui ideo in Ordinatione tradebatur Codex Lectionum; a sæculo IX tantum alicubi id facere ceperunt Subdiaconi, et ante sæculum XIII non reperitur in Pontificali formula, qua in Ordinatione Subdiaconi ipsi potestas traditur legendi. Hodie Rubrica præscribit ut in Missa solemnè Subdiaconus cantet Epistolam; sed addit: « Si quandoque Celebrans cantat Missam sine Diacono et Subdiacono, Epistolam cantat in loco consueto aliquis Lector superpelliceo indutus, qui in fine non osculatur manum Celebrantis. » (Ritus celebrandi Missam, Tit. VI, n. 8, — Cfr. Tractatus de celebratione SS. Missæ Sacrificii, Q. 276, 4.)

II. Epistola nomen habet **Lectionis**, quia antiquitus consuevit non cani sed tantum **legi**; Rubrica Missalis tamen identidem loquitur de **cantu** Epistolæ, sed juxta Directorium Chori, et Recitatorium Romanum cantus iste reducitur ad tonum recitationis in voce æquali, servato tantum tono interrogationis, si in loco puncti occurrerit interrogativum. (Cfr. Cæremoniale, Appendix II, n. VI.)

III. 1. Ante Epistolam semper annuntiatur Titulus Libri Sacræ Scripturæ ex quo desumitur:

Si est de Epistola S. Pauli, dicitur: *Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Romanos, ... ad Corinthios, ... ad Hebræos, etc.*

Si est de Epistola alterius Apostoli: *Lectio Epistolæ Beati N. Apostoli.*

Pro aliis Libris dicitur: *Lectio Libri Genesis, Exodi, ... Regum; — Lectio Isaiaæ Prophetæ, Jeremiae Prophetæ; ... Lectio Actuum Apostolorum; — Lectio Libri Apocalypsis Beati Joannis Apostoli.*

Epistolæ depromptæ ex sequentibus Libris: Proverbiorum, Ecclesiastes, Sapientiæ, Cantici Canticorum, et Ecclesiastici, leguntur sub Titulo: *Lectio Libri Sapientiæ.*

2. Deinde dicuntur variæ formulæ inchoationis:

Si legitur ex Epistola S. Pauli, præponitur: *Frâtres*, aut, respectu Epistolarum ad Titum et ad Timotheum, *Carissime.*

Si ex Epistola alterius Apostoli: *Carissimi.*

Si narrativus est sermo: *In diebus illis.*

Si prima verba sunt Dei loquentis: *Hæc dicit Dominus.*

Omittitur hæc formula inchoationis:

Si legitur alicujus Epistolæ, aut alterius Libri initium (ex. gr., in Missa Vigiliæ Nativitatis Domini, in tertia Missa Festi Nativitatis Domini).

Si in initio Epistolæ mentio fit temporis quo narrata acciderunt (ex. gr., in Festo Pentecostes).

Si textus incipit per exclamationem (in Festo SS. Trinitatis), aut per apostrophen (in Festo Epiphaniæ).

3. In fine Epistolæ, sicuti regulariter etiam fit in Officio Divino pro Lectionibus, respondetur: *Deo gratias*, ut gratus significetur animus pro salutari instructione accepta.

In Missa solemnè Subdiaconus accipit benedictionem a Celebrante, hujusque manum osculatur; hæc tamen signa reverentiæ et solemnitatis omittuntur in Missis de *Requiem.*

Q. 135. *Quid est Graduale, et unde nomen habet?*

R. Epistolam inter et Evangelium, tamquam connectionem duarum ex sacris Bibliis Lectionum, jubet Ecclesia **Responsorium** poni, quod generatim appellatur **Graduale**, ut distinguatur a Responsoriis quæ dicenda sunt in Officio divino; antiquitus integer Psalmus dicebatur, sed hodie Graduale constat regulariter duobus Versibus, quorum prior Gradualis nomine inscri-

bitur, alter huic cohærens et adnexus tamquam Versus indicatur.

Dicitur **Graduale**, vel a loco in quo olim cantabatur: quia cantor illud intonans stabat in gradu Ambonis, vel Altaris; vel ex eo quod olim cantabatur eo tempore, quo Diaconus cum suo comitatu gradus conscendebat Ambonis, ut ibi decantaret Evangelium, ne tempus quo Diaconus ab Altari in Ambonem ascendebat, sine aliquo cantu laberetur. **Responsorium** vocatur, vel ex modo quo canebatur, quia nempe uno canente chorus consonando, nempe finalem versus modulationem repetendo respondebat.

NOTA. Graduale a primis Ecclesiæ sæculis tamquam e præstantioribus Sacrificii cantibus habitus fuit, quem, ante S. Gregorium Magnum, Diaconorum munus erat modulari. Inde etiam Liber qui omnes Missæ cantus continet, a præcipua hac parte nomen obtinuit **Gradualis**.

Patet ergo perperam regulariter Gradualis cantum omitti, et ejus loco quid aliud cantari, aut solum organum pulsari. Ideo non semel declaravit S. Rituum Congregatio, quod cantus Gradualis nequit omitti in Missa solemniter aut cantata, etiam infra hebdomadam; et quod consuetudo illius cantum omittendi repugnat Rubricis, ac veluti abusus prorsus eliminanda est. (Decret. 7 Augusti 1875, n. 3365, antiq. 5622, ad 7; et 29 Decembris 1884, n. 3624, ad 11, antiq. 5929, ad 12.) — Tolerat tamen eadem S. Congregatio omissionem cantus in quibusdam specialibus rerum adjunctis, ut est vocum defectus. (Cfr. Ordinatio quoad sacram Musicen, 25 Septembris 1884.)

Q. 136. *In quibus Missis dicitur Graduale?*

R. Graduale dicitur in omnibus Missis per totum annum; exceptis Sabbato sancto, et Tempore Paschali, inde a Sabbato in Albis usque ad Sabbatum in hebdomada Pentecostes.

Graduale ab auctoribus signatur tamquam cantus exprimens mœstitiam et laborem in hac valle peregrinantium; quæ cum non pertineant ad tempus quo Paschalia gaudia celebrantur, intelligitur eo tempore Gra-

duale omitti. Quod si per hebdomadam Paschatis Graduale Missæ additum reperiatur, hoc fieri dicunt propter neobaptizatos, quibus ita significabatur gaudium ipsorum nondum esse plenum, donec educat Dominus electos suos in exultatione et lætitia æternæ in cœlis vitæ. (Cfr. Introitus Sabbati in Albis.)

Q. 137. *Quid loco Gradualis dicitur Tempore Paschali?*

R. In Sabbato sancto, et toto Tempore Paschali stricte dicto ut supra indicatur, loco Gradualis dicitur **Magnum Alleluja**, quod constat: 1° duobus *Alleluja*; 2° duobus Versibus, quibus singulis unum additur *Alleluja*.

Prolixe eo lætitiæ tempore Ecclesia omni cantui adjungit *Alleluja*, quæ vox vehementem sonat affectum acclamantis præ gaudio, et ex laude Dei exultantis atque in jubulum vocemque lætitiæ erumpentis. Vox enim hebraica *Alleluja* significat: *Laudate Deum*; præponitur pluribus Psalmis (inde a CIV°), et S. Joannes in Apocalypsi (Cap. XIX, v. 1) refert se audivisse in cœlo choro Angelorum concinentes *Alleluja*, ut adeo merito dicamus pulcherrimum hoc canticum e cœlis descendisse.

(Cfr. Ephemerides Liturgicæ: *Alleluja*. Specimen biblicum, historicum, liturgicum. Auctore Ignatio Salvatore. XIII, 1899, pag. 390 et seqq.; XIV, 1900, pag. 107 et seqq.)

Q. 138. *Quænam ordinarie dicuntur simul cum Graduali?*

R. In multis Feriis Quadragesimæ, Feriis Adventus, aliisque quibusdam, Graduale duorum Versuum solum dicitur; alias vero, ordinarie ei adjungitur Appendix, vel læta, vel tristes, juxta affectum in Missa celebrata expressum.

Appendix læta est **Versus Allelujaticus** (etiam vocatus **parvum Alleluja**, ut distinguatur a majori Temporis Paschalis), qui constat: 1° duobus *Alleluja*; 2° Versu cui unum additur *Alleluja*. Dicitur generatim in Dominicis et Festis per annum, excepto tempore a Septuagesima usque ad Sabbatum sanctum. (Cfr. Rubricæ generales, Tit. X, n. 4.)

Non sicut Graduale mœstitiam ac laborem, sed ple-

rumque hic Versus collaudationem eloquitur ac gratulationem, et magis concrete indicat objectum Festi aut Missæ; unde, dum Gradualis Versus regulariter e Psalmis desumpti reperiuntur, majori cum libertate pro Versu Allelujatico Ecclesia desumit textus ex aliis Scripturæ locis; sed et reperiuntur plures textus e Scriptura non desumpti, ex. gr., in Festis Assumptionis B. Mariæ V., S. Laurentii, S. Francisci Assisiatis; non raro respondet etiam textui Evangelii, aut constat verbis ex Evangelio sequenti desumptis, ita ut revera hæc Missæ pars dicatur et sit transitus, et connexio Epistolam inter et Evangelium.

Appendix tristis est **Tractus**, qui constat quibusdam Psalmorum versibus, et aliquando integro Psalmo. Dicitur generatim tempore pœnitentiæ et luctus, a Septuagesima usque ad Sabbatum sanctum, in Dominicis, in Festis, et in quibusdam Feriis. (Cfr. Rubricæ generales, Tit. X, n. 5.)

Character hujus Tractus diversus omnino est a Versu Allelujatico; etenim loco jubili et lætantium carminis dicuntur aliquot Versus, quorum cantus sæpe pœnitentiam, fletum et tristitiam, in humilitate sonorum, et gravi ac modesto succentu denuntiat. Vox *Tractus*, a *trahendo*, spectat non tam textum Versuum, quam modum quo cantantur; etenim omnes ejus Versus ab uno cantore, uno tractu, id est absque responso chori, et tractim, id est graviter et notarum prolixo decursu cantantur. (Cfr. Conferentiæ ecclesiasticæ Archidiœcesis Mechliniensis anni 1887. De Liturgia, Q. III.)

Q. 139. *Quid est Sequentia? Quot dantur in Missali Romano Sequentiæ?*

R. I. **Sequentia** est rhythmica quædam Oratio laudem continens, quæ canitur post Versum Allelujaticum, aut Tractum, aut *Magnum Alleluja*.

Vocatur, si principaliter textus spectatur, **Prosa**, quia in ea carminis lex aut mensura non stricte semper servatur, ut in Prosa *Victimæ Paschali*, cujus antiquioris denominatio remansit, etiamsi posteriores Prosæ magis carminum regulis subjectæ reperiantur. —

Nonnullis minus placet hæc explicatio hucusque tamen communiter accepta, et hodie auctores quidam originem denominationis quæsierunt in quadam abbreviatione, medio ævo usitata, quasi Prosa primitus scriptum *Pro sa*, esset legendum *pro sequentia*.

Si vero melodia seu cantus spectatur, præfertur denominatio **Sequentiæ**. Primitus Sequentiæ nomen fuit tributum notis musicis, quibus tamquam longo pneumate protrahebatur ultimus Versus, et quæ sunt quædam veluti modulationis prosecutio, quæ sine verbis post ipsum sequitur; vocabatur talis cantus seu melodia **jubilus**, sonus quidam lætitiæ sine verbis; vocabatur etiam **Sequentia**, seu successio ordine constituta diversorum tonorum. Quia vero rhythmica Oratio seu Prosa divinam laudem continens, præconiaque Dei aut Sanctorum expromens, loco Sequentiæ seu prædictarum notarum cani cepit, inde ipsa Sequentia vocata fuit; nomen ipsius melodiæ subscripto postea textui datum fuit.

II. Multæ medio ævo reperiebantur in Missalibus Sequentiæ, et ante Pianam Romani Missalis reformationem nonnulla Missalia continebant ultra centum diversas Sequentias (cfr. dicta Q. 26); quamplurimas reperire est in Germania et in Gallia, perpauca autem in Italia, et præsertim Romæ; unde explicari potest, quare ex his omnibus quatuor tantum in Missali Romano retinuit S. Pius V, anni 1570, quibus postea quinta adjuncta fuit: *Stabat mater*, quando Festum Septem Dolorum B. Mariæ V., anno 1727, in Calendario introductum fuit. Quinque Sequentiæ sunt sequentes:

I. **Victimæ Paschali**; quæ est canticum dramaticum, id est, diversis inductis personis, in modum dialogi interlocutorium; et dicitur in Festo, et in diebus infra Octavam Paschatis. — Est hæc antiquissima ex iis quæ in Missali remanserunt Sequentia, cujus mentio reperitur in documento medii sæculi undecimi, in quo tribuitur Sacerdoti Wipo, qui circa annum 1050 in aula Imperatorum Germaniæ Conradis II et Henrici III vivebat.

II. **Veni sancte Spiritus**; dicitur in Festo, et in diebus infra Octavam Pentecostes. — Nonnulli Regem

Galliæ Robertum, filium Hugonis Capet († 1031); alii Innocentium III († 1216) auctorem ejus opinantur; ex recentioribus investigationibus quidam eam adscribunt Archiepiscopo Cantuariensi, Cardinali Stephano Langthon († 1228).

Genus dicendi videtur esse sæculi in quo maxime floruit liturgica poësis, nempe decimi tertii. « Crediderim facile (ait Clichtoveus, in Elucidatorio ecclesiastico), auctorem ipsum, quisquis is fuerit, cum hanc contexuit orationem, cœlesti quadam dulcedine fuisse perfusum interius, qua Spiritu sancto auctore tantam eructavit verbis adeo succinctis suavitatem. »

III. Lauda Sion; dicitur in Festo, et infra Octavam SS. Corporis Christi (numquam vero in Missis votivis, nequidem in Oratione XL Horarum). — S. Thomam Aquinatam auctorem habet.

IV. Stabat mater dolorosa; dicitur in Missis Festivis (non vero in votivis) Septem Dolorum B. Mariæ V. — Tribuitur Jacopono (Jacobus de Benedictis), discipulo Ordinis S. Francisci Assisiatis († circa 1306).

V. Dies iræ; dicitur in Missis de *Requiem*. — Communius adscribitur Thomæ de Celano, discipulo Ordinis S. Francisci Assisiatis († 1255). Alii tamen ex recentioribus eam tribuunt discipulo Ordinis S. Dominici, cui nomen Fra Latino, vel, qui forsitan idem est, Cardinali Frangipani, ejusdem Ordinis S. Dominici († 1294).

Harum Sequentiarum explicationes plures ediderunt; pulcherrimæ dantur in libris sequentibus:

J. Kayser. Beitrage zur Geschichte und Erklärung der alten Kirchenhymnen. Zweiter Band: die Sequenzen des Römischen Missale. Munster. 1886. 1 vol. 8°.

N. Gühr. Die Sequenzen des Römischen Messbuches dogmatisch und ascetisch erklärt. Freiburg. 1887. 1 vol. 8°.

NOTA. Valde placuisse nostratibus videtur quædam Sequentia *Lauda Sion etc.*, pro Missa Festi SS. Nominis Jesu; quæ hodie adhuc legitur ex peculiari concessione apud Franciscanos.

Supplicante Emo ac Rmo Dño Cardinali Thoma Philippo de Alsatia de Boussu, Archiepiscopo Mechliniensi: « An Sequentia in Missa de SS. Nomine Jesu dicenda vel omittenda sit in

ipsius Festo? » S. Rituum Congregatio respondendum censuit: « Sequentiam esse omittendam. » (Decret. 16 Februarii 1737, n. 2327, ad 2, antiq. 4056, ad 9.)

Ideo in Directoriis Mechliniensibus sæculi XVIII, imo usque ad annum 1838 inclusive, studiose adnotatum reperitur Missam in hoc Festo dicendam esse sine Sequentia. Ab hoc anno 1838 vero, quo a S. Rituum Congregatione concessa fuere Officia propria Archidiececesis Mechliniensis, in quibus nihil habetur de Sequentia prædicta, inutile visum fuit apponere mentionem, per integrum sæculum jam notatam, de omittenda Sequentia.

Q. 140. *Quænam notanda sunt de ritu Evangelii?*

R. I. Altera ex Lectionibus Sacræ Scripturæ in Missa est Lectio Sancti Evangelii, quæ constituit partem præcipuam et solemniorem Missæ Catechumenorum.

Munus legendi Evangelium, etiamsi videatur primitus fuisse Lectorum, tamen mox, ut constat ex variis testimoniis, inter alia S. Hieronymi, ob ejus præstantiam, et ob reverentiam demandatum fuit Diaconis, utpote præcipuis in Sacrificio post Sacerdotes Ministris. Attamen, a sæculo circiter IX tantum, reperitur in Pontificalibus quibusdam traditio Libri Evangeliorum, cum formula potestatis traditæ, in Ordinatione Diaconorum.

II. Lectio Evangelii non solum inservit ad fidelium instructionem, sed est actus cultus, per quem debitus datur Verbo Dei honor; unde habemus plures cæremonias significationis plenas, quibuscum hæc Boni Nuntii Lectio peragitur.

Ante Lectionem, Liber Evangeliorum super Altare primum ponitur, et dein de Altari sumitur, ad significandum in Evangelio contineri verba, et narrari facta Christi, cujus figuram Altare gerit; — qui Evangelium lecturus est se præparat, suppliciter petens munditiam cordis, et oris seu labiorum, et specialem accipit benedictionem; — idem honor tribuitur Libro Evangeliorum, qui Cruci, imo SS. Corpori Christi, honoratur enim lumine et incenso; — Lectionem præcedit solemnitas salutatio: *Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo*; — indicata Lectione adstantes acclamant: *Gloria tibi, Domine*; — Cruce signatur textus, Cruce se signant omnes in fronte, ore et pectore; — stant omnes detecti; — Lectio peragitur proprio solemniiori præ aliis

Lectioibus tono ; — perfecta Lectione gratiæ aguntur verbis : *Laus tibi, Christe* ; — Celebrans osculatur sacrum textum, dicens : *Per Evangelica dicta deleantur nostra delicta.*

Hæc omnia signa sunt profundæ venerationis, gaudii et gratitudinis, quam provocat Lectio Boni Nuntii.

III. Quoad formulam notari possunt præter supra dicta :

1. In initio indicatur ex qua parte Sancti Evangelii sacra Lectio erit :

Si a principio unius e quatuor Evangeliiis, dicitur : *Initium sancti Evangelii secundum N.*

Si e corpore Evangelii, dicitur : *Sequentia sancti etc.* ; hæc vox *Sequentia* non est hic singularis, sed pluralis numeri, significatque ea quæ sequuntur ex textu Evangelistæ.

2. Incipit Evangelium ab his verbis : *In illo tempore*, nimirum quo Christus Dominus vivebat in terra, aut prædicabat.

Si textus initium tempus exprimit quo narrata evenerunt, omittitur *In illo tempore* (ex. gr., in Evangelio Dominicæ IV Adventus, Festi Epiphaniæ).

NOTA. In Missis de *Requiem*, quia minor solemnitas convenit, non deferuntur lumina, neque incensum, non petitur Benedictio, omittitur osculum textus post Lectionem, et non dicitur : *Per Evangelica dicta etc.*

Q. 141. *Quænam locum habebant post Lectiones in Missa?*

R. Post Sancti Evangelii Lectionem habebatur, non tamen regulariter, Sermo ad populum, seu Homilia, seu Tractatus, unde habemus plures quas in Matutino legimus Homilias Sanctorum Patrum, inter alias Sancti Leonis Magni, Sancti Gregorii Magni.

Sermoni adjungebantur in pluribus locis variæ commendationes, necnon diversæ preces, quarum omnium usus adhuc hodie viget in Missis parochialibus et aliis ; Gallice nomen datur *Prône*, quæ vox derivatur a græca *πρόνας*, qua significatur illa templi pars, quæ ab ejus limine ad chorum protenta laicos continebat.

II. Peracto autem Sermone, « fit missa (dimissio) catechumenis », ait S. Augustinus. Formulæ dimissionis

erant : *Catechumeni recedant ; Si quis Catechumenus est, recedat ; — Catechumeni exeant foras, vel pro Pœnitentibus, aliisque : Si quis non communicat, det locum.*

Jam a sæculo VIII, defectu Catechumenorum, et mutata disciplina Catechumenatus et Pœnitentium, dimissiones regulariter fuerunt omissæ.

CAPUT VI

DE SYMBOLO

Q. 142. *Quonam Symbolo utitur Ecclesia Romana in Missa ? A quo tempore dicitur Symbolum in Missa ? Quid notandum est pro cantu Symboli ?*

R. I. In Missa utitur Ecclesia Romana Symbolo Nicæno-Constantinopolitano (annorum 325 et 381), quod a Symbolo Apostolico non discrepat, nisi quatenus uberius explicat ea quæ in Symbolo Apostolico ab Arianis de Filio, et a Macedonianis de Spiritu sancto oppugnabantur. — In versu de Spiritu sancto : « qui ex Patre Filioque procedit », additio « Filioque » facta fuit sæculo V in Hispania, unde in reliquo Occidente assumpta fuit ; a Græcis vero hæc additio numquam fuit admissa.

II. Primum in Oriente, ab initio sæculi sexti, in Missis dictum fuit Symbolum, forte ob multas in his regionibus grassantes hæreses.

In Occidente primum in Hispania, exeunte sæculo sexto, deinde sæculo octavo in Gallia et Germania assumptum fuit Symbolum tamquam pars Missæ.

In Ecclesia Romana ante nonum sæculum recitatum fuisse Symbolum constat ex diversis Ordinibus Romanis ; non tamen communiter ; et speciatim non in Missa a Summo Pontifice celebrata, nisi sæculo undecimo id factum, constat ex testimonio Bernonis, Abbatis in Reichenau ; refert hic enim, Sanctum Henricum II, Imperatorem, cum 14 Februarii 1014, die Dominica, benedictionem et coronationem Romæ acciperet a Summo Pontifice Benedicto VIII in Basilica Vaticana, animadvertisse in Missa Pontificis non fuisse